

CONCIO V. AUCTARII.

ginta dies. Quod si emendare se nolint, juxta canum decreta etiam morte mulcentur. » Refert P. Adamus Conzen, polit. libr. VI. cap. X. et libr. III. cap. XIV. plura mandata inhibitoria. En quales et quam tremendaebriosis datae benedictiones!

Hic accedunt concionatores et confessarii, qui et ipsi solent ac tenentur tonare et fulminare contra ebriosos.

VII. Quæ omnia si nihil proficiant postremam tandem dabit aliquando vindicta Deus, nisi resipuerint, cum in eos denotabit tremendo illo fulmine: *Ite maledicti in ignem æternum.* Verum ebriosos etiam in hac vita sœpe vario et infelici exitu punitos fuisse, passim exemplo docent. Illud hic memorabimus, quod Philisthæi homines ventri et vino dediti, ut indicat eorum etymon (Philisthæi enim potu carentes exponuntur) murium (qui non solum agros eorum et vineas de moliebantur, sed etiam in homines irruerant, ut vult S. Gregorius M. eo loco, Servus, Sulpitius, S. Antoninus et alii) infestatione punitisint, dum arcam Domini detinerent, 1. Reg. V. Ecur vero muribus? An quia mures parvissime bibunt et lambendo tantum? Certe Aristoteles, libr. V. animal. cap. XXVIII. mures in Africa, si bibant, emori scribit. Juste ergo immoderati bibones ab animalculis, modici potus amantibus, plexi et vexati sunt. Scribit et Nauclerus, vol. II. chronol. generat. XXXVI. anno 1071. Vincentius Belluac. in spec. hist. lib. XXV. cap. CXVII. Martinus in chron. divitem quemdam potatorem, dum in convivio indulgens genio, resupinata cervice se deret, repente a muribus circumvallatum, ut effugere non posset, eumque solum, ceteris illæsis, impeditum: qui cum a famulis in vicinum mare proveheretur, mures eum insecuri, navem perroderent; unde metu submersionis rursum in terram depositus, a muribus insequentibus invasus et devoratus est. Nimirum sicut bibaces Græci a Turcis, qui vinum non bibunt et vites excidunt, vieti, subacti et ejecti sunt: ita contigit illi misero: quo sciretur ebrietatem Deo exosam. Sed quis explicare queat, qualēm benedictionem mures illi stygii daturi sint ebriosis? *Fel draconum vinum eorum, inquit Moyses, Deut. XXXII. et venenum aspidem insanabile.* Multi a potionē medica adeo abhorrent, ut mori potius, quam haurire velint; alii plerique magna cum nausea sumant, cum tamen ad sanitatem tendat. Quid erit haurire venenum aspidem insanabile?

Hæc cogitent et recognoscant potatores, has, inquam, maledictiones; quæ si ipsorum sitim necdum restinguere valent, nil aliud expectent, quam sitim illius epulonis in flammis gehennæ, tot jam

sæculis toleratam, et deinceps tolerandam in æternum.

CONCIO V.

QUOMODO ET NOS IN SINU DOMINI RECUMBERE POSSIMUS.

I. Si prævio conscientiæ examine cubitum eamus. — II. Si in adversis ad Deum confugiamus. — III. Si in s. communione cum Domino suaviter conversemur. — IV. Si bene muniti sacramentis in Christo obdormiamus.

THEMA.

Recubuit in cœna super pectus ejus. Joan. XXI.

Bene Christus Dominus in hesterno evangelio comparavit se gallinæ, congreganti pullos suos sub alas. Videmus enim sub alas gallinæ se recipere, et subinde unum illorum in ipsum matris dorsum, dum alii sub ejus alis foventur, insilire, nec matrem id ægre ferre. Hunc in modum Christus, dum in ultima cœna discipulos suos fovet, pascit et animat, ecce unus ex illis, Joannes, in ipsum Christi pectus recumbit, neque Christus id inique tulit. Fuit hoc Joanni non exiguum beneficium. Certe ipse sibi de hoc quasi gratulatur, dum sœpius id repetit in suo evangelio, quasi certum indicium magnæ dilectionis Christi erga se. Ipsa etiam Ecclesia tota propter hoc Joannem singulariter veneratur; unde canit in ejus officio: *Valde honorandus est B. Joannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit.* At jam dicet alius: Cuperem et ego cum Joanne in sinu Christi jacere. Non admittitur tibi hæc facultas, sed offeretur et quidam pluribus modis. Audi.

I. Recumbunt in sinu Christi; primo, qui, post exactam conscientiæ discussionem, se commendant Deo per contritionem et orationem, antequam eant cubitum. Somnus frater mortis est; et multi eunt cubitum, qui mane non resurgent: ad hæc dæmon suis illusionibus plus vexare homines de nocte semisopitos et otiosos, quam interdiu potest ac solet: quare opus est, ut in Domino velut securò præsidio recubamus. Certe in munitionibus ducuntur ad nocturnas vigilias, ingruentibus tenebris, præsidiori milites, et disponuntur undique suis locis contra hostium insidiis, tametsi nullus e vicino hostis imminent: quia scilicet insperato aliquando obrui præsidiori ab hoste possunt, si non semper vigilent. Nobis omnibus insidiatur mors instar furis, et multo magis dæmon. Ideo monet Dominus semper vigilandum; et apostolus ad Eph. IV. Sol non occidat super iracundiam vestram. Par ratio

IN FESTO S. JOANNIS EVANGELISTÆ.

de aliis gravibus peccatis. Ergo ut in tuto ponamus arcem cordis nostri, intellectum, voluntatem, memoriam: judicemus nosmetipsos, doleamus de peccatis, proponamus emendare nos et confiteri peccata admissa, petamus a Deo veniam, puniamus ea fletibus aut mortificatione aliqua, imploremus Dei opem, commendemus nos per eam noctem in Dei manus. Hoc bonorum Christianorum et Christi ovium est: oves enim decubiture prius in genua cadunt; equi et boves non item, sed in terram corrunt, quemadmodum et illi, qui sue salutis incurri corrunt in lectulum sine cruce, sine prece et omni cura animæ; quin et sœpe ebriosivel iracundi. Sic Holofernes vino obrutus cecidit in lectum, ut ait textus Græcus eaque nocte perdidit caput, unaque salutem suam; quod sane ei non contigisset, si sobrius cubitum ivisset, Judith, cap. XIII. E contra sicut princeps et cum ipso cives suaviter ac secure dormiunt, bene constitutis excubitorum vigiliis; ita mens nostra secure dormit post prævium illud examen. Vidit hoc vel ethnicus Seneca, qui, libr. III. de ira, cap. XXXVI. laudata illa quotidiana sui discussione, addit: « Quid ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? Qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur! Quam tranquillus, altus ac liber! Aut cum laudatus est animus aut admonitus, etc! »

II. Qui in adversis ad Deum confugiant velut asylum, eique omnia sua committunt. Audierat Joannes Christum prædicentem gravem tempestatem, se nimirum ab uno suorum commensalium tradendum in manus inimicorum. Aspiciebant ergo se invicem discipuli, hæsitantes de quo diceret. Quid Joannes in hac trepidatione? Fugit ad sinum Christi, quod indicat ipse, cum mox subdit: *Erat ergo recubens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus, Joan. XIII.* Observa causalem ergo: nimirum sicut pulli ad vocem gallinæ de præsentia milvi eos admonentis, mox sub alas matris se recipiunt; sic Joannes, auditio Domini clangore de præsentia proditoris, ad Christi sinum fugit. Unde in domo Caiphæ dicas eum cordate versatum esse, nihil trepidantem: Petrum vero, quia ad hoc asylum non confugit, sed suis viribus præfusus: *Domine, ait, paratus sum tecum in carcere et in mortem ire, timuisse ac negavisse.* Verum quod tunc non fecit, postea fecit, Spiritu sancto confirmatus, cum in carcere vincitus inter milites, postero die ducendus, altum et quasi in sinu Jesu recubans, secure dormiit, adeo ut angelus, percusso latere ejus, excitare eum debuerit, Act. XII. *Alte namque dormiebat, ait in eum locum Sanctus Chrysostomus.* Credo sane angelum non statim pulsasse latus Petri, sed initio urbane et sedata voce eum suscitasse, dicendo: Surge, Petre, sed cum nihil proficeret, in latus demum percussisse. Signum vero est Petri, tametsi mortis supplicio jam adjudicati, animum ab omni cura solutum in Christi providentia et tutela suaviter et secure recubuisse. Unde et mirabiliter per angelum eruptus est. Idem videre erat in S. Eduardo Angliae rege, magno S. Joannis amator. Is enim, cum Daniæ rex bello eum petiturus navim inscenderet, in Dei sinum se projectit, templum adiens, ut s. missam audiret, die pentecostes. Sub elevatione in risum solvit. Causam rogatus, ait, se vidisse tunc Danum regem dum e scapha in navim, cum classe in Angliam motrus inscenderet, inter scapham et navim delapsum in mare ac demersum esse; sibi proinde et Angliæ a Dano deinceps non metuendum, Sur. V. jan. Quidni huc etiam referam B. Ægidium, S. Francisci fratrem; qui cum aliquando valde esuriret, nec quidquam ad edendum haberet, procubuit sub arbore, ad somnum loco prandii capessendum, quasi in sinum Dei se projiciens. Dum evigilat, videt panem sibi ad os appositum, haud dubie ab angelo sibi præparatum, ut in ejus vita, 23. april. apud Surium.

III. Qui in s. communione cum Domino suaviter epulantur et conversantur. Sumpserat Joannes paulo ante sacrum Christi corpus. Eo suscepto, in sinum Christi cadit, quasi amore languens, et musto Domini ebrius, juxta in sponsæ: *Introdixit me in cellam vinarium. Fulcite me floribus, stipite me malis, qui amore lungueo,* Cantico. II. Post mensam corporalem prodest aliqua quies, ut melior fiat concoctio: multo magis post mensam eucharisticam prodest et requiriatur animi recollectio cum gratiarum actione. Hinc etiam Elias post sumptum panem subcinericum (qui typus eucharistiæ erat) jubetur ire in solitudinem, ut securus ibi degat a Jezabele et aliis suis insidiatoribus, III. Reg. XIX. Ergo nisi post eucharistiam sumptam recipiamus nos in solitudinem cordis, nondum satis erimus ad evadendos hostes nostros firmi ac muniti. Turpe foret magnum et dilectum hospitem, amaner invitatum, post mensam mox deserere. Hoc egit ingratus Judas, qui post buccellam acceptam statim abiit, insultato hospite Christo, et tam pretiosa mensa; qui si mansisset et sermonem Christi post mensam audisset, forte non periisset. At vero hoc ipsum facere videntur, qui post communionem mox e templo discedunt, nulla prorsus facta gratiarum actione aut collectione.

IV Qui omnibus sacramentis bene et pie mutati ex hac vita discedunt. Audiit Joannes in illa cena Christo mortem instare, discipulis peritura et fugam; audiit Christum dicentem: *Qui non habet (gladium) vendat tunicam et emat gladium;* (Luc. XXII.) propter instantem videlicet persecutionem in monte Oliveti, quæ tanta erat, ut secundum humanam prudentiam gladio potius opus foret, quam ueste. Jam vero quæ major tribulatio, quam instantis mortis? Quæ ibi pericula? Qui timores? Quæ tormenta? Quid agendum tunc? *Ecce duo gladii hic:* projice in sinum Christi, per tempestivam confessio-nem et communione. Et cur Deus præcepit Iudeis, ut migraturi in terram promissam, an-quam ex Ægypto discederent, agnum pascha-le una cum lactucis agrestibus, seu *amaris* (ut habetur in Hebreo) ederent, et quidem ha-bitu peregrinorum, lumbis accinctis, stantes, et tenentes baculos in manibus (ut nimirum essent expediti ad iter tam longinquum) nisi ut migraturi ex hac vita ad alteram, via multa nimis, sibi providerent de penitentia et sacro viatico? Agnus eucharistiam, lactuca amarae penitentiam, festinatio indicat sollicitudinem, qua tem-pes-tive his subsidiis se armarent homines morituri. Scribit Sanctus Chrysostomus, in lib. de sacerdotio, sibi a fide digno viro narratum, quid: « Qui de hac vita migraturi sunt, si mysteriorum hujusmodi cum pura conscientia fuerint particeps, spiritum efflaturi, ab angelis, Morum corpora satellitum more stipantibus, propter assumptum illud sacramentum, hinc recte in celum abducuntur. »

Verum versus dæmon, Pharaonis instar, mul-tos impediare ab hac salutari preparacione solet, nam nescio quas remoras injicit per amicos, ne advocentur sacerdotes, saltem in tempore. Cujus mihi mirum exemplum scribit noster P. Georg. Stengelius, in ovis paschalis emblem. LXXIV. his verbis: « Novi ego familiariter (inquit) in Alsacia nobilissimi nominis et familiae dominum, cui mos erat meridiari, atque idcirco, remotis secundis mensis, in tumultuarie lecto accumbebat. Lectus erat humilis, stragulis russei coloris instratus. Pendebant circumsecus cortinae holoserice ejusdem coloris. Sed et mensa oblonga propter lectum stabat punico tapete tecta. Nec excedebat hic apparatus opes. Ex eadem illa arce in qua habitaverat, novem in ambitu suo vicos seu pagos conspiciebat, tam vicinos, ut pene omnes tangere posset glande plumbea. Illi omnes pagi ad illius dominium pertinebant. Nihil præterea deerat, quod posset a tali viro optari, nisi quod ovum immo fragile vitrum fuerit. Nam ecce sive quia in

pauperes ac religiosus beneficis, sive quia in di-vos pius erat, bonus genius hunc in vitro docuit, quam fragilis vita esset humana.

Cum se a meridie in torum recipere, jubebat in mensa statui crystallinum calicem vino rubro punicantem, ut a somno siccor illico se posset haustu præsenti refrigerare. Hic mos illi erat quotidianus. Aliquando igitur integris sensibus et valetudine prorsus vegeta accubuit. Ibi nescio quæ hominem subiit cogitatio de aternitate, quæ eum non sivit obdormiscere. Cum hac cogitatione dum luctatur, atque ante oculos positum vitreum scyphum animo molente identidem contemplatur, scyphus repente, nullo attingente, velut ictus, sonat, et sponte sua medius dissilit, vinumque in mensam effundit. Territus inexpectato spectaculo dominus, tintinnabulo, quod pone stabat, dat signum. Adsunt famuli, querunt quid velit: quibus trepidi voce rem, uti evenerat, recenset, additque, in vitam suam, quemadmodum vitrum, rumpendam, animamque vini instar effundendam. Solantur illi; tristem cogitationem abjicere jubent, vitrum in vitro fuisse, casu crepusse, atque ut mentem illi alio evertant, scyphum removent ex oculis, aliumque illius loco substituunt, perinde Bacchi sanguine repletum, ut priorem, herumque se quieti reddere jubent, quo se in torum recipiente, abeant.

Non abiit tamen cum illis tristis sollicitudo. Equiscō soit, ait, annon et mihi omni fortuna pleno, sic repente interitus immineat, uti huic vitro de Burgundiaca uva pleno? Quid si genus meus bonus, hoc mihi signum dedisset instantis mortis? Multis talia contigere, ut ante obitum monerentur. Primus ego non sum. Quin ergo alienis sapio exemplis? Hæc forte secum tacitus dum agitat, per medium horæ partem, ecce tibi rursus etiam alterum hoc vitrum cum sonitu claro sponte medium rumpitur, nemine lœdente, atque purpureum vinum in mensam evomit. Major ergo quam prius hominem invadit consternatio. Vocat famulos, vocat uxorem, mandatque ut actutum Bruntruto advocent animæ sua medicum, nam de corpore actum esse, non secus, atque de vitro jam altero prodigio utique fracto; neque aliud indicante, quam vite sua fragilitatem ac interitum repentinum; ita enim animam suam effundendam, uti vinum: neque tam vitrum, quam Parcae stamen ictum, sonitu illo mortem ad fores suas pulsavisse. Ne igitur in extremis versantem destituant auxiliis spiritualibus, quando corporis deinceps subsidia desint, etiam atque etiam ro-gat. Hoc tali sermone uxor, magis quam ipso vitri prodigo perculta, cum diu laborasset in persuadendo marito ne somniis crederet aut tri-

stitiæ delirantis vanitati, tandem appromisit, patrem societatis consuetum advocari curatram.

Interim, ut sedaretur mentis tumultus in ma-rito, tertium jubet scyphum apponi, priusque bene inspici, ne fractus, ut vestigium habens le-sionis reponeretur. Ita maritus se denuo ad sopor-rem componit; uxor quia inanem viri arbitrata est esse imaginationem, mittere pro confessario omittit. At non ita dominus, qui singula peccata in digitos digerit, et totus in eo est, quemadmo-dum non somnum capere, sed mortem obire velit. Hæc dum agit (quis digitum Dei non agnoscat?) rumpitur tertium quoque vitrum, et vinum per mensam dispergit. Tum demum nihil amplius dubitare dominus, tum per superos attestari vo-catam conjugem et servos, ut confessarium quan-toius accersant, modicum sibi temporis su-pe-resse, quo saluti suæ propiciat, illud se negli-gere nolle, sed obsequi cupere angelo monitori; itaque festinent, volent; nam festinare etiam id vita, quod reliquum superesset. Omnia mundus facilis credit, quam sua pericula. Quare tum quoque insanire dominum, familia magis, quam non sano corpore esse credidit. Ita dies a prandio usque in serum vesperum iit; nec quisquam missus est, qui confessarium Bruntruto advocaret. Crepusculum diei fuit et crepusculum vita. Nam ad primam faciem mirifice cepit pallere, se-gnius et vena micabat, ac vires in momenta sin-gula deficiebant. Ergo tum demum uxor mittit equos expeditos, et quanta possit contentione ju-bet famulum celare. O quam occulta sunt judicia Dei! Itinere alioquin non admodum longo, et intra montes plerumque continuato, neque er-oribus exposito, pergit incitatissimis equis fa-

mulus, et in modica silvula, quæ interjacet, tota nocte vagatur, cum interea media jam nocte herus funus fuit. Itaque sero adductus confessarius mortuum invenit, satis tamen occupationis repe-rit, circa vivos consolando, qui sua dicebant ne-gligentia, aut incredulitate potius, herum sine divinis sacramentis e vita discessisse. Quo autem discessit? Ah! Deus novit. De salute illius nolim desperare. Spes tamen utique robustior esset, si sicut ipse, ita et familia illius, eamdem et viri et hominis agnivissent fragilitatem. »

Omnis nos talia vitra sumus, sive juvenes, sive senes, nec scitur, quinam prius per mortem con-fringendi sint. Intra in officinam vitriarii, et interroga illum, quænam vitra prius existimet fran-genda, antiquiora ne an recentiora; respondebit illico, ea quæ prius in terram ceciderint, sive ea antiqua, sive recentia sint: quia omnia tæque fra-gilia. Sic se res habet nobiscum. Ecce ergo non unusquisque sibi tempestive providet? De cor-pore curando admodum solliciti sumus, in medico omnis spes: de anima sero et vix curamus, confessarius postremus est, qui vocatur. Non sic B. Stephanus, qui moriens, de anima sua solli-citus: Domine, inquit, suscipe spiritum meum: non sic Joannes, qui vivens adhuc in sepulcrum, prius solidissime munitus et amore ac desiderio Christi videndi inflammatus, cum verba illa effatus esset: Et tu tecum esto Jesu Christe, se demisit, moxque ingenti splendore circumfusus, spiritum suo red-didit creatori. Nos sequamur, auditores; ita enim fiet, ut in sinu Domini una cum Joanne feliciter recumbemus, sicutque cum psalmista dicere possumus: In pace in idipsum dormiam et requiescam, Ps. IV.